

Dissertatio medica inauguralis de angina inflammatoria / [John Ligertwood].

Contributors

Ligertwood, John.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1773.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hnr8rjs9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

33588/P

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ANGINA INFLAMMATORIA.
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, SS.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES LIGERTWOOD, M. A
BRITANNUS.

Ad Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M, DCC, LXXIII.

To

Dr Robt Stewart

from his very humble Serv^t
John Ligertwood.



317695

Viro Reverendo

ALEXANDRO GERARD, D. D.

Christi ministro,

In Academia Regia Aberdonensi

Sacrofanctae theologiae Professori,

Pietate, morum suavitate, doctrina, insigni,


Ob multa beneficia in me collata,

Monumentum grati animi parvulum,

Hancce dissertationem qualemcunque

Sacram esse volui

JOANNES LIGERTWOOD.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30383560>

DISSERTATIO MEDICA

D E

ANGINA INFLAMMATORIA.

DEFINITIO.

FEBRIS synocha; dolor gutturis, ibique angustiae sensus.

Morbus hicce est vel symptomaticus, qui in febribus acutis circa crisin, aut in aliis morbis, sese ostendit; vel idiopathicus, qui per se oritur. De idiopathico solo hic loci paucis verbis differere nobiscum decrevimus.

HISTORIA MORBI.

Ut plurimum, homines sensu frigoris quem calor excipit*, anxietate, nausea, pulsu frequenti,

* Junker. conspect. therap. spec. tab. 30.

quenti, valido, et duriusculo*, adoritur. Sanguis densus, et crusta inflammatoria obductus, alvus plerumque adstricta est, urina saepe variat †. Nulla inflammatio quae situm saepius mutat, quam haec, a medicis observatur; quippe quotidie in praxi ab una in alteram tonsillam se insinuare visa est. Faucibus relictis, pulmones saepissime adoritur. Hippocrates hocce phaenomenon olim notavit ‡. Aliquando caput invadit, atque tunc phrenitidem gignit; cutem quoque, et viscera abdominalia, infestat; tumque signa, hisce diversis partibus inflammatis propria, sese ostendunt.

Alia symptomata, quae hunc morbum concomitantur, varia, pro varietate partium inflammatione laborantium, evadere solent; quod phaenomenon omnes fere auctores, tam veteres quam recentiores, diversas anginae inflammatoriae species, probe distinguere monuit.

* Home princ. medic. p. 110.

† Junker. conspect. therap. spec. tab. 30.

‡ De morbis, lib. 2. cap. 9. Charter, tom. 7. p. 561.

monuit. Ita a Tralliano * et Ægineta † edocemur, antiquiores medicos, mala inflammatoria, quae fauces invadere solent, in quatuor genera propriis nominibus distincta redigisse, eosque internorum muscutorum laryngis inflammationem, *κυνασχιν* appellasse, et, e contra, externorum, *παρὰκυνασχιν*. Musculis vero pharyngis interioribus inflammatione correptis, tum *Κυνασχιν* morbum nominaverunt; sed, si muscoli ejusdem partis exteriores simili modo affecti essent, in tali casu, morbus *παρὰκυνασχιν* appellari solebat.

Inter recentiores, structurae harum partium magis peritos, cynanche trachealis, pharyngea, tonsillaris, &c. memorantur ‡.

Quamvis haecce in species divisio ad curationem parum spectet, quae in omnibus valde obtinere solet, severitatis symptomatum ratione habita; tamen, cum sit magni usus in prognosi rite formanda, eam utcunque observemus, atque symptomata unicuique speciei propria,

* Lib. 4. cap. 1.

† Lib. 3. cap. 37.

‡ Sauvages nosolog. method. tom. 1. p. 491.

propria, quam accurate, hic loci praebere conemur.

Faucibus, tonsillis, velo pendulo palati, et uvula inflammatis, symptomata sequentia plerumque oriuntur; qualia sunt rubor atque tumor partium; magna deglutiendi difficultas; nulla vel parva admodum per nares respiratio, neque haec quoad caetera multum laeditur; faciei interdum rubedo; mucii in fauces secretio copiosa; excretio glutinosa continua; auris internae atque tubae Eustachianae dolor; auris durante deglutitione crepitus; aegri saepe furdi evadunt.

Hic speciem anginae omnium frequentissimam jam depinxi.

Trachea sola inflammatione correpta, symptomata sunt; caloris, doloris, et ariditatis sensus in parte affecta; inspiratio acute dolens; respiratio parva, frequens, erecta, difficillima; vox acuta, clangosa, stridula, quasi per tubam metallicam emissa, quam sic describit Hollerius: ‘Est autem, inquit, sub-
 ‘rauca, sed acuta fere et sonora, gravis ali-
 ‘quando, similis refertur, si quis in fictile
 ‘ficcum,

‘ siccum, aut cavum aedificium caput immit-
 ‘ tat, atque inde loquatur.’ Pulsus in hac spe-
 cie saepe tremiscit; nulla deglutiendi dif-
 ficultas, neque rubor faucium observanda
 sunt.

Si larynx et glottis inflammatione corripit-
 antur, angina dirissima, qua aeger strangula-
 tione subita e medio tollatur, jam apparet;
 vox acutior quam in priore specie evenire so-
 let; ingens dolor inter deglutiendum per-
 cipitur, quem loquela adauget.

In hac, nec non in priore specie, vultus
 livor conspiciendus est.

Quando morbus hicce pharyngem occu-
 pat, rubore in partibus faucium imis * sti-
 patur; deglutitio valde difficilis atque dolo-
 rifica, et aliquando impossibilis evadit; re-
 spiratione utcunque satis libera. Materies
 deglutienda per nares rejicitur, vel in ar-
 teriam asperam impellitur, in quo casu, tussis
 saevissima aegrotum vexat.

Cum

* Culleni genera morborum, p. 270.

Cum offi hyoidi et laryngi elevandis muscoli infervientes inflammantur, sequentia symptomata sese ostendunt: Respiratio fit satis libera; sed deglutiendi conatu dolor acutissimus sentitur; signa inflammationis in genere se manifestare incipiunt, et in hisce musculis qui examinanti apparere possunt. Illust. Van Swieten*, in suis observatis, commemorat, hancce morbi speciem, multo frequentius, quam tracheae aut laryngis inflammatio, contingere solere.

Quando parotidum et glandularum submaxillarium insignis tumor adoritur, aeger sine magno dolore suum os aperire nequit †; respiratione illaesa, deglutitio parum impeditur; atque utplurimum febrem moderate inflammatoriam morbus comitem habet; pueros multo frequentius quam adultos aggreditur; a Gallis, *Aurellions*; Anglis, *the Mumps*; et Scotis, *the Branks*, nominatur; ob metastasin frequentem ad testes insignis est ‡.

Quan-

* Comment. in Boerh. aph. tom. 1. p. 660.

† Tissot avis au peuple, No. 116.

‡ Ruffel's Oeconomy of nature, p. 118.

Quantumvis hae species separatim saepius appareant, tamen aliquando contingere visum est, ut harum duae vel plures in eodem aegro uniantur : Atque hujus rei exemplum Ill. Eller * in juvene viginti annorum memorat, qui, tertio die post dirissimum huncce morbum inchoatum, omnibus incausum adhibitis medicamentis, suffocatus vitam morte commutavit; et enimvero symptomata in tali casu dirissima atque funesta admodum fere semper deveniunt. Deinde signa varia encephali vasa, sanguine nimium distendi ostendentia, sese manifestant. Talia sunt rubor et tumefactio faciei; oculi sanguine suffusi et prominentes; venarum circa collum atque fauces tumor; omnes cerebri functiones laesae, et aegri summa anxietate circa praecordia oppressi; primo, secundo, vel tertio die, subita suffocatio.

Hucusque symptomata, quae ad particulares species, atque combinationem duarum vel plurium specierum, pertinere videantur, enume-

* Observat, de cognosc. et curand. morb. sect. 7, p. 172.

enumerare conati sumus : Nunc vero ad diagnofin morbi confiderandam nofmet accingamus.

D I A G N O S I S.

Jam notas, quibus hicce morbus ab aliis diftinguatur, cum quibus periculum eft ut confundatur, memorabimus ; et hi ad tres fortaffe referri poffunt, viz. aphthas, anginam aquofam, et anginam malignam.

Ab aphthis diftinguitur angina inflammatoria, febre in priore multo minus acuta, et faepenumero lenta vel putrida ; colore faucium purpurafcente, (rubore fplendente in angina fe manifefante), atque cruftis albidis quibus lingua et os internum obducuntur.

Porro, aphthae ut plurimum pueros atque fenes aggrediuntur ; dum angina plerumque adultos et vegetos adoritur.

Malum hocce ab angina aquofa, tonfillarum atque uvulae tumore in hac pallido et

et aquoso, absque inflammationis signis se ostendente, dignoscitur. Praeterea, angina aquosa, pallidos, debiles, et leucophlegmaticos invadit; inflammatoria, fortes, sanguineos, et rufos.

Angina inflammatoria a maligna, febre comitante, distinguitur, quam in illa acutam esse diximus; sed in hac semper lenta atque putrida fieri solet, insigni virium jactura et exanthematibus stipata. In angina maligna, crustae mucosae, coloris cineritii vel albescentis, quae ulcuscula obducunt, in faucibus examinanti apparent; nil tale vero in angina inflammatoria conspiciendum est.

De tumore faucium nil certi judicandum est: Nam quantumvis sit ut plurimum in angina tonsillari magis conspicuus quam in maligna; tamen maligna tonsillas in gradum insignem saepe tumefacit. Qui prospera valetudine frui solent, et ii quorum corpora ad morbos inflammatorios praedisponuntur, qui ad florem aetatis pervenere, anginae inflammatoriae magis obnoxii sunt; dum debiles et

laxi, pueri et foeminae, maligna opprimi caeteris procliviores evadunt.

QUI MORBO POTISSIME
OPPORTUNI SINT.

Juvenes, rufi et sanguine abundantes, et qui haemorrhagiis obnoxii sunt, huic malo valde proclives evadunt, uti ex Sydenhami, Junkeri, aliorumque observatis clare innotescat. Tempus vernale atque boreales plagae homines ad hunc morbum praedisponunt.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Harum praecipua in hoc morbo, aequae ac in omnibus aliis inflammatoriis, frigus nimirum existit, praesertim si corpori nimis calefacto vel debilitato quid tale applicetur; ejusque effectuum nocentium multa specimina habemus *. Van Swieten sequentia narrat, cujus haec sunt verba: ‘Lethalem, quarto die, anginam ab hac causa natam dolui,
‘ in

* Vid. Eller de cognosc. et curand. morb. p. 172.—177.

‘ in optimo cive hujus urbis, qui medio Ma-
 ‘ io mense, in hortulo suburbano sedens,
 ‘ blando Solis verni tepore delectatus, obdor-
 ‘ miverat in feram vesperam usque, et nocte
 ‘ sequenti pessima angina corripiebatur, quae
 ‘ illum, frustra tentatis efficacissimis remediis,
 ‘ e medio sustulit.’

Frigus in hoc et multis aliis casibus, per-
 spirationem impediendo, vires suas noxias ex-
 ferere videtur; quaeque cohibita perspirabilis
 materia glandulas faucium mucosas atque
 tonsillas quoque obsidere aptissima est.

Frigidi aëris fauces versus applicatio topi-
 ca inter equitandum contra ventum borea-
 lem, orationibus partium exercitatio violenta,
 vociferatio, &c. anginae occasionales causae
 inter auctores, et merito, referuntur.

Dura materialia, v. g. ossa animalium et
 alia istiusmodi, in faucibus vel oesophago
 haerentia, partes stimulando, eosdem effectus
 edunt *.

Fumi

* Hildan. cent. III. obs. 42.

Fumi acres, uti arseneci vel mercurii incaute ad fauces hausti, huic malo originem praebent. Atque Hoffmannus* narrat, se aliquando observasse diversos infantulos eodem tempore necatos angina, uti ille existimasset, inducta dormiendo in cubiculo nuperrime calce obducto. Tulpius † equi casum in lucem prodit, qui hac causa inflammationem atque faucium excoriationem adeo passus est, ut diu a cibo abstinere coactus esset.

Quaedam ingesta specificè guttur afficientia causam occasionalem anginae suppeditare valeant: ‘ Ex purgantibus, inquit Hoffmannus, helleborus albus, specifica quasi indole petit fauces, et strangulationem facit; idem quoque de solano furioso medicorum testantur observata.’

Angina inflammatoria aliquando contagiosa esse videtur; quippe nonnunquam in eadem familia degentes, unum post alterum, corripit; atque species ista, quae *mumps* appellatur,

* Tom. 2. § 2. cap. 4.

† Observat. med. lib. 3. cap. 41, ad finem.

pellatur, secundum D. Ruffel *, semper epidemica et contagiosa esse solet, antea passos non afficiens.

CAUSA PROXIMA.

Auctior fluidorum motus in partis affectae vasis, et plerumque in toto systemate, hic considerandus primario venit; et exinde varia phaenomena inflammationis comites, v. g. rubor, calor, auctus aliquis tensionis gradus, dolorque, facile explicari possunt. Fortasse haec ad praxin dirigendam sufficerent; sed utcunque haud alienum videatur causam huius impetus adaucti paululum hic loci considerare.

Bellini atque Boerhaavius, qui principes in medicinae scholis nuper exstitere, obstructionem in partis affectae vasis motus auctoris causam praebuere, quaeque, secundum horum theoriam, in vasis vicinis adhuc liberis

* Vid. the oeconomy of nature, p. 118.

ris atque perviis velocitatem sanguinis insignem promovebit, et hanc velocitatem, per totum systema diffusam, febrem constituere affirmant.

Sauvagesius autem hancce opinionem experimentis hydraulicis falsam esse demonstravit, sanguinemque in tali casu, per libera vasa, obstructione formata, non velocius, sed tardius moveri *: Atque Illus. Haller huic, uti inflammationis causae, argumentis variis, ingenio et doctrina plenis, oppugnat. Et equidem fatendum est, obstructionem, quoad legitimus fluidorum circuitus, hocce modo, per aliquam partem solum impediatur, illustrandis inflammationis symptomatibus neutiquam esse parem. Sed, etiamsi res ita se habeat, nonne obstructio causa impetus magis adaucti, vires suas tantum pro stimulo exferens, evadat?

Stimulum hic allatum esse a vasorum rubrorum motu auctiori, dilucide apparet; et acria, si diu applicentur, frequentem inflammationis causam

* Vide nosolog. method. tom. 1. p. 379. 76.

causam existere videmus. Haec acria agere uti obstructionem gignentia existumare haud possumus; sed, a stimulo fibrae sensibili partis cui applicantur illato, necessario oritur inflammatio. Eodemque modo, haud intelligere possumus, apicem spinae exiguae sub unguem adaetae, quae tumoris cum inflammatione insigni per totum brachium, et febre concomitante, suscitandi capax est, suos effectus, vasa minima partis cui applicatur obstruendo, exferere, sed stimulo, quem fibris motoricibus subministrat.

Stimulus impetum sanguinis auctiorem ciens possit talis fieri in quibusdam casibus, qualis jam memoravi; sed, inflammatione interna existente, hujusmodi applicatio raro manifesta est, (utcunque aliquid tale interdum oriri posse neutiquam negarem); igitur stimulum istum, originem ab obstructione ducentem, pro causa frequentissima amplecteremur. Obstructio, tametsi per se parva, tamen aliquid congestionis gignet, quaeque res distensionem majorem procul dubio causam dabit; sed systematis arteriosi actio, disten-

distensione, vice stimuli ordinarii, promovetur; si igitur haec adaugeatur, actionem systematis arteriosi in partis affectae vicinio aucturam esse satis innotescit. Hicce stimulus ab obstructione natus uni ex duabus causis ortum suum debeat: 1. Sanguinis copiae, cuius parti magis determinatae; vel, 2. Imminutae capacitati in vasis fluida transmissuris obortae. Hisce vero duabus causis reciproce se adjuvantibus, distensio, qua stimulus inducitur, facillime nascetur. Ita, tam in rheumatismo, quam in angina, satis constat, morbum nullo modo adeo gigni aptum, ut devenire solet, quando vasa, calore atque motu sanguinis magis aductis distensa, causae constringenti opportuna evadunt, vel quando subitum frigus, corpore jam nimis calefacto, calorem excipit.

Insuper, valde probabile videtur, angina febre stipata, vasorum extremorum spasmus, una cum stimulo ab obstructione oriundo, nasci posse. Sed ad hanc rem elucidandam, lectorem benevolum doctissimi atque ingeniosissimi

osiffimi praeceptoris Culleni doctrinam de febris, in praelectionibus suis academicis, consulere moneo.

RATIO SYMPTOMATUM.

Rubor atque tumor partium. Haec symptomata globulis rubris, in vasa serosa transmigrantibus, originem suam debere videntur; nam hoc modo vasa praeter naturam distenduntur, atque tumor oritur; et cum major copia sanguinis rubri in haec partes ingrediatur, insignis rubedo necessario sequitur.

Deglutiendi difficultas, et respiratio parum laesa. Mala istiusmodi, a valida tonsillarum, veli penduli palati, &c. inflammatione, procul dubio ortum suum trahant; quippe, hisce partibus semel inflammatis, tumor accedit; adeoque viae per quas aër atque alimenta transire solebant coarctantur: Et, quamvis tumor haud adeo insignis evadit, tamen actio partium laesarum, quando deglu-

titio peragitur, eam dolorificam et laboriosam reddere solet.

Nulla vel parva per nares respiratio. Inflammatio narium membranae interiori, per velum pendulum palati, allata, hocce symptoma illustrare videtur; quodque facillime nasci possit, cum hujus membranae continuatio veli penduli posteriora obducat.

Deglutiendorum per os rejectio. Hocce symptoma, a partium inflammatarum convulsiva contractione, dolore inducta, oritur; quem potus aut cibus aliquando afferunt, cum haec partes in statu irritationis majoris attingant.

Muci in fauces secretio copiosa. Quamplurimos ductus mucosos in fauces hiare, et insignem mucii copiam, praesertim a tonsillis, fecerni, ex anatomicis fatis compertum habemus. Atque hujus usus a natura constitutus procul dubio est, fauces continuo humectare, atque alimenta deglutienda lubricare. Sed cum, in statu inflammatorio, major vis sanguinis versus fauces propellatur, et cum ductus mucosi, dolore, hocce modo illato, stimu-

lari soleant, necessario sequitur, ut mucii quantitas solito major effundatur.

Exscretio glutinosa continua. Haecce auctior mucii copia, cum prae dolore deglutiri nequeat, remora atque calore faucium ejus fluidiora dissipantur; et hocce modo magis magisque glutinosus atque viscidus devenit: Sed glutinosae hujus materiei moles fauces in tali inflammationis statu magnopere irritabit, et in aegro continua ejiciendi conamina ^{ci}et.

Auris internae atque tubae Eustachianae dolor, surditas. Tubae Eustachianae sua orificia, statim post tonsillas, in fauces hiantia, ostendunt; et morbum ab his versus interiorum tubarum membranam communicari, doloremque in toto tubarum tractu, et in aure interna, cum qua commercium habent, cieri, facile intellectu est. Surditas duas causas agnoscit: 1. Tubam Eustachianam adeo inflammata, ut sua cavitate prorsus orbetur. 2. Vicinarum partium in statu inflammatorio compressionem, qua tubarum orificia claudi possunt.

Auris,

Auris, durante deglutitione, crepitus. Hoc-
ce symptomata communicatione inter fauces et
aures internas per tubas Eustachianas subsi-
stente explicandum est; atque probabile vide-
tur, cum respiratio per nares impediatur, a-
ërem, inter deglutiendum, in tubas magna
vi coactum esse, et ita crepitationem oriri.

*Caloris, doloris, &c. sensus in parte affecta;
vox acuta, stridula, clangosa.* Asperam arte-
riam membranam tenuem lubricamque habe-
re, ex anatomia patet: Cum igitur haec mem-
brana inflammatione plectatur, calor, dolor,
&c. necessario sequuntur. Sed officium tra-
cheae arteriae est, aërem versus pulmones ve-
here, atque ex iisdem reducere, ut respiratio
perficiatur, et ut vox hujus organi ministerio
rite formetur. Jam cum, tumore tali inflam-
matione illato, asperae arteriae cavitas minu-
atur, nec aër in pulmones intrare, nec ex iis-
dem revehi possit, eadem facilitate, qua in
statu sano solebat, tum vox auctior evadit, at-
que aër per aperturam adeo coarctatam trans-
grediens vocem stridulam reddet. Ab are-
facta trachea, mucositate eam lubricante jam ca-
lore

lore inspissato, vox clangosa oritur; atque a Cl. Van Swieten observatum est, in locis arenosis iter facientes, si coeli temperies sit calidior, eodem genere vocis, ariditate sola, teneri.

Inspiratio acute dolens; respiratio parva, frequens, erecta, et difficilis. Tracheae membranae inflammatae, dum aër in pulmones recipitur, distractio, primi horum symptomatum rationem dilucide admodum demonstrabit; atque hic observare licebit, aëris eandem copiam, ut in statu sano, nequaquam in pulmones invehi posse, ejusque expirationem ocyorem necessario secuturam. Ex hisce causis rite inter se comparatis, curren-~~tes~~ respiratio parva, frequens, et difficilis fiat, cuius sedulo consideranti patebit.

Pulsus tremiscens. Ad sanguinis per pulmones liberum conciliandum circuitum, dilatationem horum legitimam per aërem inspiratum necessariam esse, satis compertum habemus; sed inspirationem, acutum dolorem ciere, ob tracheae membranam inflammata, monuimus; ideoque dilatatio pulmo-
num

num debita impeditur. Sanguinis a dextro corde circulaturi stagnatio tum oriri solet ; atque hoc modo minor sanguinis vis versus cor sinistrum mittitur, neque copia fluidi vitalis legitima in aortam propellitur ; igitur pulsus tremulus evadit. In hac specie nulla rubedo observanda est, quia partes intuenti haud patent.

Morbus hicce, quando laryngem occupat, diriffimus evadit, cujus orificio solo (glottide, v. g.) aër in pulmones ire et redire potest ; quia compressio quam minima in hoc loco facta rimam glottidis angustabit, atque strangulatus subiti periculum inferet.

••• *Vox acutior quam in priore specie.* Vox magis minusve acuta fit, ut rima glottidis majorem minoremve contractionem subit, et uti aër majore minoreve vi per eam propellitur : Sed in praesenti casu, rima glottidis magis quam in priore contrahitur, et aegris suffocationem imminentem conantes ^{ibus} avertere, aër, celeritate ejus angustiae proportionata, per rimam impelletur : Inde vox acutior.

Ingens dolor in laryngis elevatione. Larynx inter deglutiendum subito attollitur; neque ideo mirandum est, in statu inflammatorio actionem talem esse dolorificam.

Morbo pharyngem occupante, rubor in imis praesertim faucibus conspicitur. Pharyngis pars posterior colli vertebrae superjacet, atque in statu inflammationis, ore satis aperto, facile in conspectum prodit.

Deglutitio valde difficilis atque dolorifica, aliquando impossibilis. Pharyngis usus bene intelligitur, atque ex supra dictis ratio horum symptomatum dilucide apparet.

Materies deglutienda per nares rejicitur, vel in asperam arteriam pulsa, tussim excitat. Quando, partium deglutioni inservientium motu convulsivo, deglutienda per nares redeunt, solita cautela rimae glottidis claudendae a natura adhiberi nequit; adeoque pars alimentorum aliqua in tracheam incidere proclivis est; quae res tussim violentam excitat, cum trachea ad aërem solum recipiendum a natura formata sit, et omnia aliena,
etiam

etiam quam mitissima, huic organo summam irritationem afferant.

Musculis ossi hyoidi et laryngi elevandis a natura destinatis, inflammatione correptis, conamen deglutiendi, dolorem acutum, ab actione partis inflammatae oriundum, suscitatur.

In illa anginae specie, quae inter nostrates *Branks* nominatur, propter tumoris magnitudinem, atque musculorum in vicinitate actionem, respiratio quodammodo impeditur.

Causa symptomatum nimiam sanguinis copiam cerebrum versus delatam indicantium, (v. g. ruboris et tumoris faciei, &c.), vel a difficili sanguinis per pulmones transmissu, ejusque ob eam causam ad cor dextrum accumulatione, vel ab externarum venarum jugularium compressione, petenda est.

P R O G N O S I S.

Angina inflammatoria, tum ob febrem concomitantem, cum ob metum exitii ab inedia vel strangulatione, nunquam vacat periculo. Instar inflammationis in genere, suppuratione, et aliquando gangraena, vel schirro, sed frequentissime resolutione, finitur. Atque haec ultima terminatio, omnium optatissima est, (modo metastasis in viscera nobiliora haud fiat), et sudore, diarrhoea, vel haemorrhagia narium saepius stipatur. Post resolutionem, finis per suppurationem praeteris palmam praeripit; eamque superventuram concludere possis, si dolor sit pulsatilis; si tumor se in apicem erigat; si aeger frequenti horrore tentetur; et pulsus denique paulo mollior deveniat. Pure semel formato, dolor remittitur, symptomata febrilia multo mitiora fiunt, atque tumoris apex colorem albicantem induit.

Terminatio per gangraenam est omnium pessima; atque dignoscitur, rubore splendente

dente in colorem lividum mutato ; tumoris detumescencia ; dolore sine manifesta causa subito evanescente ; pulsu frequenti et inaequali, atque extremorum frigiditate.

Quoad periculum speciem anginae particularem concomitans, notare liceat, anginam eam esse semper periculosissimam, ubi nulla inflammationis signa circa fauces apparent ; sed, ubi tumor et inflammatio in conspectum prodeunt, multo minus timendum esse*. Sic morbus funestissimus evadit, dum asperam arteriam, laryngem, aut glottidem † corripere visus sit ; et in tali casu paucarum horarum spatio ‡ nonnunquam exitium aegro inferre solet, secundum Hippocratis || observatum, ‘ latens angina, vel ‘ primo vel secundo die lethalis.’

Tonsillis, velo pendulo palati, pharynge, &c. inflammatis, multum periculi haud adest,
paucis

* Lom. obs. med. lib. 2. p. 99.

+ Junker. conspect. p. 258.

‡ Sydenh. sect. 6. cap. 7. V. Swieten com. in Boerh, aph. 802.

|| Lib. 3. prog.

paucis in eo statu morientibus. Tumoris ut-
cunque magnitudo, et gradus concomitan-
tis febris, in prognosi hic rite instituenda di-
rigere nos debent.

Ille morbus qui *Branks* dicitur, exteriora
solummodo tenens, mitis atque boni ominis
observatur, qui vix ullo alio artis molimine
egere consuevit, praeter calorem debitum
partibus accommodatum, cum regimine an-
tiphlogistico rite exhibito *.

Quando devorandi vel respirandi difficultas
remittitur, et inflammatio se partes faucium in
exteriores insinuat, exitum felicem praenun-
ciat; dum translatio, seu materiei phlogisticae
metastasis, in pulmones, cerebrum, vel alia
organa nobiliora, funestum eventum denun-
ciat, nisi fortasse larynge inflammata, ubi
aliquid tale, strangulationem, quae aegro sta-
tim imminet, impedire, et aliquid spatii ad
medicamenta debita subministranda, praec-
bere potest.

Cuicunque parti metastasis obvenerit, pe-
riculum in ea re expectandum, aestimari po-
test

* Oenonomy of nature, p. 118.

test eventu atque symptomatis quae istiusmodi partibus inflammatis contigisse visa sunt. Spatium, quo aeger angina, ante metastasin obortam, laboravit, medici iudicium similiter adjuvare queat.

METHODUS MEDENDI.

Dicendi occasio nobis oblata est, in primis hujusce dissertatiunculæ initiis, omnes anginæ species eandem fere methodum medendi postulare; sed, antequam hancce partem operis aggrediamur, nostro instituto haud alienum videatur, lectorem candidum hic loci monendum esse, quod quantumvis eadem remedia generalia semper administrari debent, attamen, inter medendum, necessitati symptomatum nunquam non ratio habenda est.

Ad ordinem igitur, et concinnitatem conservandam, schema optimum existimavi, morbum, uti saevis symptomatibus stipatum, quoad curationem pertractare, et in tali casu, medendi ratione bene cognita, alii, ubi
 symp-

ſymptomata mitiora occurrunt, applicatio facilis evadet.

Indicationes itaque curatoriae ad tres ſequentes referendae ſunt :

1mo, Impetum ſanguinis atque tenſionem vaſorum auctiora, tam in toto ſyſtemate, quam in parte laeſa, tollere.

2do, Humorum verſus corporis ſuperficiem determinationem promovere.

3tio, Omni artis molimine ſtrangulationi et inediae obviam ire.

Sed ad primam harum indicationum redeamus, nempe, impetum ſanguinis atque tenſionem vaſorum auctiora, tam in toto ſyſtemate, quam in parte affecta, tollere, quae abſolvenda videtur,

1. Sanguinis miſſione.
2. Epiſpasticis.
3. Fomentis.
4. Regimine antiphlogiſtico.

1. Sanguinis miſſione, quae ſemper in angina curanda praeſtantiffimi remedii locum tenuit.

tenuit. Hocce modo sanguinis circuitum fortio- rem minui, in curandis morbis inflam- matoriis, experientia quotidiana comprobat; cum enim status hicce morbidus, pulsu velo- ci, et impetus versus quasdam partes sensati- one, sese ostendat, et cum venaesectio haec phaenomena amoveat, impetum fortio- rem ea diminui affirmare liceat.

Systematis tensionem minorem reddit; quippe cum haecce tensio, ab vaforum pleni- tudine praecipue pendeat, si sanguis abstra- hatur, eam minorem deventuram satis patet; ideoque venaesectio ad indicationem hic tra- ditam efficiendam aptissima est. Sanguinis missio, larga copia, et evacuatione subita, insti- tui debet; et in laudem praxis hujuscemodi, quando anginae symptomata periculosiora fi- unt, medici vetustiores quam plurimi *, ae- que ac neoterici †, sua suffragia protulerunt.

Venaesectio

* Vid. Galen de curand. rat. per venaesect. cap. 19. Charter. tom. 10. p. 448. Aret. lib. 1. de curat. morb. a- cut. cap. 7. p. 87. Trallian. lib. 4. cap. 1. p. 2931.

† Hoffm. tom. 2. § 2. cap. 4. Sydenham, § 6. cap. 7.

Venaesectionis igitur lato vulnere celebranda est; et aeger in positura recumbente teneri debet, ad animi deliquium praecavendum, ne justam sanguinis copiam detrahere impediremur. Nulla regula generalis de quantitate auferenda tradi potest; cum in diversis, pro aetate, sexu, temperamento, atque aliis, varianda sit: Sed Celsi jussu, in anginae curatione, videretur, quod fluido vitali parcere haud debemus, si urgerent symptomata, aliis tamen circumstantiis sanguinis detractionem haud indicantibus; quippe ait *, ‘Sanguinem mittendum esse, etsi non abundat.’

Quoad ego opinor, sexdecim vel octodecim unciae sanguinis in adulto homine, promissione prima, plerumque sufficere apparebunt; sed si febris, deglutiendi vel respirandi difficultas, hac quantitate sublata, perseveraverint, venaesectione rursus celebrata, decem circiter vel duodecim uncias auferre debemus.

Ad partem, e qua sanguis mitti debet, ratione habita, phlebotomiam in vena jugulari

* Lib. 4. cap. 6. p. 196.

ri externa, utpote parti affectae proxima, Zacuto Lusitano * Jo. Stephano †, atque aliis, morem gerens, celebrare vellem: Sed si copia fatis magna ab ea extrahi nequeat, ut aliquando contingere solet, venam in brachio fecare monerem. Quamplurimi medicorum venas sublinguales vulnerare suadent. Nonnulli huic praxi oppugnant; quippe qui aiunt, si vulnus exiguum solummodo illatum sit, evacuationem parvi aestimandam esse; et, vice versa, si plaga sit lata, haemorrhagiam lethalem consequi posse. Alii ‡ hanc methodum repudiant, quia sanguinis circuitum per truncum arteriae carotidis externae velociorem reddere, atque hoc modo tumorem inflammatorium augere valet. Sed horum argumenta principiis mere hypotheticis niti videntur; et si aliquid infausti, raninis vulneratis, contingere visum fuisset, nil dubitandum est, quin fidelis Sydenhamus, qui hanc prax-

in

* Hist. med. princ. lib. 1. hist. 76.

† In Hippoc. de struct. hom.

‡ Van Swieten, in aph. 809. Tulp. lib. 1. cap. 51.

in quam maxime commendatam habet *, de tanto periculo nos certiores faceret.

Sed praeter missus sanguinis generales, venaesectione topica, in angina curanda, summi usus est et efficaciae; atque quinque vel sex hirudinum circa guttur applicatio praestantissimum remedium evadit, uti saepenumero mihi contigit observare. Uncias sanguinis sex vel septem cucurbitulis et scarificationibus, circa collum detractas, optimos effectus edere, quoque observatum est.

Si symptomata utcunque, venaesectionibus generalibus atque topicis absque debito fructu tentatis, saeva adhuc persisterint, curatio statim aggredienda est,

2. *Epispasticis.* Horum modus operandi hucusque in tenebris obnubilari videtur. Agere utcunque apparent, stimulo fibris motricibus ejus partis cui applicantur illato; et ita, inflammatione et materiei serosae effusione natis, vesiculae oriuntur. Sed vis stimulans qua pollent, ut plurimum durationis haud longae, atque raro per totum systema se ex-

E ferens,

* Sydenh. sect. 6. cap. 7.

ferens, observari solet; et evacuatio quam epispastica inducunt tensionem vasorum partis in vesiculas elevatae imminuit. Cum autem cutis ubique mirabili vasorum rubrorum inter se communicantium reticulari fabrica suppeditetur, existimare liceat, quod, evacuatione stimulo epispastici inducta, a parte aliqua hujus fabricae reticularis, in tensione minuenda, illius effectus per totam corporis superficiem diffundi possunt. In peripneumonia, epispastica, diathesi inflammatoria minuenda, atque pulsu tardiori et molliori reddendo, maximas virtutes exserere visa sunt: Ita ad indicationem memoratam absolvendam, impetum, nempe, atque tensionem magis adauctam tollendam, fatis apta videantur; ideoque remedium in angina perutile praebuerunt, atque a viris summis in praxi medica * magna laude celebrata sunt. Nuchae, circa guttur, vel pone aures, imponi possunt, cura tum adhibita, ut vulnera
nera

* Sydenh. loc. ant. cit. Pringle on the diseases of the army, p. 3. cap. 2. § 3.

nera hirudinibus vel scarificatione facta factis apte tegantur, ne molesta stranguria cantharidibus in sanguinem delatis inducatur. Æger eodem tempore emulsionem Arabicam, vel potum aliquem demulcentem, liberius bibere debet.

Simili consilio tensionis minuendae anginam subigere conamur,

3. *Fomentis.* Horum relaxans atque virtus antispasmodica tam bene nota est, ut de iis nil necessario hic dicendum habeamus. Hippocrates ipse eorum usum in hoc morbo curando laudat *. A cute spasmus, eam dilatando et emolliendo, removent; partes infra jacentes eodem bono effectu fruentur, et ita, obstructione sublata, circulatio libera et aequabilis inducetur. Aqua calida, virtute sua relaxante, a materiis omnibus aliis facile palmam praeripit, uti D. Bryan Robinson † medici Dublinensis experimentis ingenio plenis, in capillos institutis, factis in-

notescat,

* De morb. lib. 2. cap. 9. p. 560.

† Operations of medicines,

notefcat. Igitur fomentandi formula, quae nobis utiliffima videtur, panno ex lana facto inftitui debet, aqua calida imbuto, nutricis manibus fatis compreffo, atque circa col- lum applicato, quamdiu caloris gradum ju- ftum retinebit; et neceffe eft, ut alterum habeamus, ad ejus vicem fupplendam, post- quam frigefcit; quibus auxiliis fotum, dum nobis arideat, applicare poffimus, forfan u- nius horae fpatio vel diutius, cautela adhi- bita ne ftragula madefacta fint, et ut opera- tio moleftiae quam minimum aegro affe- rat.

Hic loci balneum vaporis ad fauces in- teriores applicari monemus; quippe, iifdem principiis manifeftè nitens in ope aegris an- gina laborantibus afferenda, vix unquam incaffum tentatur. Hic apparatus haudqua- quam complex defideratur. Aqua calida fola, (vel ne haec ab aegro ob fimplicitatem nimiam pro remedio contemneretur, parca aq. rofar. copia, cum pauxillo aceti, addi pof- fit), in vas fatis aptum huic negotio infun- denda eft, quodque ftatim infundibulo in-
verfo

verso tegi debet, cujus tubus adeo incurvandum est, ut aeger ad vapores per os recipiendos se flectere haud necesse habeat. In hoc remedio applicando, repetitis vicibus quotidie, aliquo temporis spatio perseverare debemus. Ubi mucii secretio copiosa adest, et ubi aegrum sua spissitudine atque visciditate infestat, magnae utilitatis esse observatur.

De topicis applicationibus jam verba facientes, pauca de alia in praxi vulgo adhibita, Gargarismate, nempe, proferemus. Partium inflammatarum inter gargarizandum actio procul dubio irritat, atque tumorem doloremque augere potest. Simili modo igitur quo Cl. Pringelius * dicitur, ope siphonis gargarismata injicienda suadere vellem. Tinctura rosar. tenuis, cum melle ac aceto, quibus pauxillum nitri addatur, gargarisma satis aptum formabit; et injectio hujuscemodi ter quaterve quotidie, ad faucium glandulas detergendas, administrari debet.

Cum

* Diseases of the army, p. 3. cap. 2. § 3.

Cum vero hicce morbus pure inflammatorius sit, pertractandus est,

4. *Regimine antiphlogistico.* Sub hoc titulo intelligi vellem, omnes irritationes esse praecavendas quae morbum augere queant: Sed, si fusius de hac re tractaremus, hujus disertatiunculi limites transgrederemur. Sufficiat igitur monere, ut aeger quam maxime a fœnis liberaretur, et loquelam vitaret, quam antea diximus morbum augere. Animi pathemata consopienda sunt. Atmosphaera in qua aeger habitat neque nimis calida vel frigida esse debet, nam in utroque casu irritatio nociva nascetur. Temperatura debita gradus sexagesimus secundus thermometri Fahrenheitiani, ut plurimum, judicatur; sed in hac re administranda aegrorum sensationes nos dirigere queant.

Ut irritationi a foecibus in intestinis compactis obviam eatur, laxantia mitiora refrigerantia, vel clysmata emollientia, quotidie semel saltem aegroti alvum subducere debent.

In diaeta, omnia stimulantia, e. g. carnes et jura carniū omnium, vitanda sunt. Potus sit decoctum hordei, cum pauxillo limonum succi acidulatum, aqua cum pane tosto, vel cerevisia tenuissima.

Denique, motus muscularis quam maxime fugiendus est, qui stimulus satis notabilis sit, impetui sanguinis violentiori ortum praebens.

Jam procedamus ad indicationem secundam curationis, quam supra posuimus considerandam, nempe,

Humorum versus corporis superficiem determinationem promovere.

Convenientia hujus indicationis in angina curanda haud dubiae fidei erit, cuivis consideranti, morbum ut plurimum ab perspiratione cohibita oriundum, atque spasmus extremorum vasorum, aequae ac in omnibus morbis febrilibus, hic probabiliter subesse. Determinatio igitur versus superficiem in hocce casu, emeticis atque refrigerantibus, praecipue inducenda est.

1. *Emeticis.* Ope emeticorum, copiam majorem humoris versus poros cutaneos promoveri, experientia quotidiana ostendit; atque medicamina hujuscemodi, quando parca dosi ad nauseam tantummodo suscitandam exhibita sunt, efficaciae majoris, ad hanc intentionem absolvendam, esse observantur, verisimiliter a miro illo consensu inter stomachum et corporis superficiem existente. Inter varia emeticorum genera, huic negotio perficiendo antimonialia aptissima sunt; sed caeteris antimonialibus tartarus emeticus facile palmam praeripit: Salina quippe praeparatio, cujus actio ab acido ventriculi haudquaquam dependet. In aqua pura dissolutus ad quantitatem quadrantis vel dimidii grani omni semihora, vel omni hora, exhibendus est, ut nausea aliquamdiu excitetur, donec aeger paululum vomuerit, vel alvum exoneraverit; atque hoc modo horis pomeridianis quotidie, donec febris declinaverit, propinandum juberemus.

2. *Refrigerantibus.* Hic loci acida atque sales medii comprehendi possunt. Haec enim

enim vi sedativa gaudere, circuitum sanguinis magis adauctum atque calorem minuere, et diaphoresin promovere, observantur. Certe igitur ad indicationem hic prolatam absolvendam satis apta evadent. Acida vegetabilia, ut plurimum, mineralibus praestantiora esse videntur, cum majore copia sumi, atque alvum relaxare, queant.

Inter formulas, quibus in praescribendis mediis salibus uti solemus, julap. salin. usitatissima est; et ad unciam unam spatio unius vel duarum horarum, quamdiu febris perseveraverit, praebere debet.

Remedium alterum hic nominare liceat, quod, secundum Ill. Pringelium versus superficiem humorum fluxum promovere videatur; frustum panni ex lana facti, imbutum oleo olivarum atque spir. c. c. commixtis in ea proportione quam cutis facile ferat, circa collum applicatum, atque semel omni quadrihorio renovatum. En! Pringelii verba: ‘By this means, the neck, and sometimes the whole body, is put into a sweat, which, after bleeding, carries off, or lessens

the inflammation.' Quocunque modo suas virtutes exferat, illud usus haud mediocris saepenumero vidisse opinor.

Cl. Home, in suis praelectionibus academicis, gummi guajaci remedium valde potens in angina curanda memorat; atque factis compertum est, hocce diaphoresin commovere, et, in hunc finem, in rheumatismo morbisque cutaneis exhiberi solet. Attamen usus illius in praesente casu ex eo effectu pendere neutiquam videretur; nam, secundum Doctoris observata, aequae efficax sine ulla diaphoresi, ac eadem existente, evasit. Ille igitur virtute specifica gaudere opinatur: Gum. guajac. drachmae dimidium, cum eadem quantitate rob sambuci, aegro, h. f. propinat, venaesectione prius celebrata, modo pulsus fit plenior; et morbum, trium vel quatuor dierum spatio, tali remedio ut plurimum amoveri affirmat; medicamenque efficacissimum, post varia experimenta, in praxi viginti quatuor annorum, sese expertum, in publicum prodit. Nunc vero, ut huic opusculo

culo finem imponamus, ad tertium medendi consilium progrediamur, viz.

Strangulationi et inediae omni artis molimine obviam ire.

A binis causis strangulatio oriri possit; vel a tumoris in faucibus conspicui magnitudine, vel a laryngis aut glottidis inflammatione, quae in conspectum nostrum haud devenit; et, uti ab una vel altera nasci videatur, medendi methodus procul dubio varianda est. Nam, in priore casu, molem tumoris, sanguinem vel materiam purulentam quae in eo continetur eliminando, imminuere conamur; quodque ope lanceolae panno ex lino facto ferme usque ad apicem obvolutae, vel tubo inclusae, quam nobis Garengot * depinxit, ne partes vicinas vulneremus, perfici debet.

In casu vero posteriore, ne aeger pereat, ad bronchotomiam confugiendum est. Operationem hancce neutiquam eo periculo stipari, quo veterum medicorum quidam, Aurelianus,

* Nouveau traite des instrumens de chirurgie, tom. I, p. 317.

anus, e. g. et Aretaeus, existumarunt, immo chirurgo perito operante, vitae nil periculum inde imminere, ex recentiorum observatis fatis compertum habemus; ideoque aegro, prae respirandi impotentia aliter perituro, opem hujuscemodi semper afferre debemus.

Si haec tempestive peracta sit, spes melior aegri in sanitatem recuperandi nobis affulget; quippe nimis diu neglecta, initium peripneumoniae lethalis in pulmone gigni queat, quae omnia ad curam spectantia vana et inutilia reddere possit.

Periculum fame pereundi solummodo oriri potest a faucibus in modum adeo insignem inflammatis, ut deglutitio omnino impediatur. In rebus adeo difficillimis, vita aegri clysmatum nutrientium auxilio sustinenda est, quae, vasis tubi alimentarii absorbentibus recepta, aegrotum alere queant. Ad hanc intentionem perficiendam, lac et aqua, vel liquor ex farina avenacea, cum aqua concocta paratus, injici possit, enemate communi prius exhibito, ad foeces quae in canali

canali alimentario continentur expellendas, ut nutritioni infervientia facilius retineantur. Ubi finis inflammationis fit tonsillarum fchirrus, eadem medendi ratio, ac in aliis istiusmodi mali casibus, tentanda est; si vero angina inflammatoria in gangraenam abeat, curam iisdem remediis, ac in angina maligna, aggredi liceat.

Postremo, ad morbum recidivum praecavendum, cum frequenter fieri soleat, causae omnes remotae, quoad possimus, sedulo vitandae sunt.

F I N I S.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

530 SOUTH EAST ASIAN AVENUE

CHICAGO, ILLINOIS 60607

TEL: 773-936-3700

FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

PHYSICS 101

LECTURE 1

MECHANICS

LECTURE 2

LECTURE 3

LECTURE 4

LECTURE 5

LECTURE 6

LECTURE 7

LECTURE 8

LECTURE 9

LECTURE 10

LECTURE 11

LECTURE 12

LECTURE 13

LECTURE 14

LECTURE 15

LECTURE 16

LECTURE 17

LECTURE 18

